



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Satisfit argumentis aliarum opinionum. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

applicationem ad operandum exterius, & ita hæc S. Th. sententia plurimum opinionum principis consonat. Quo fit, ut quamvis possit Deus collocare idem corpus simul in diuersis locis, vel in vno, relinquendo priorem sine transitu aliquo per medium: & ita hac ratione certum sit, potuisse collocari corpus Christi in Eucharistia, manendo simul in celo: tamen secundum modum, quem habet in Sacramento, siue nouo miraculo moueri possit de extremo ad extremum sine medio: cum enim ibi sit modo indiuisibilis, nec secundum commensurationem ad locum, & ex se non inferat necessarium modum existendi in loco, sed ratione specierum in loco sit, & ita solum ratione corporis, cui coniungitur, in loco esse possit, sine nouo miraculo, sicut Angelus de extremo ad extremum, sine vilo medio moueri possit.

CAPVT III.

Satis sit argumentis aliarum opinionum.

Reliquum est, ut argumenta aliarum opinionum diluamus, simulque id, quod docent, confutemus. Ad priorem rationem pro sententia Agidij respondeo, secundum opinionem eorum, qui dicunt, Angelum esse in loco ratione suæ nudæ substantiæ, sicut corpus ratione quantitatis, intelligi non posse Angelum à loco absolutum virtute sua, sicut etiam neque corpus virtute aliqua creatæ: ac proinde fatemur, hoc modo moueri non posse de extremo ad extremum siue transitu per medium, nisi virtute diuina: at si Angelus sit in loco vel ratione modi, quo coniungitur corpori, vel per operationem, ut ipse Agidius constituit, vel per applicationem ad operandum, ut alij docent, facile certe id intelligitur, & explicatur; ut superiori cap. vidimus. Quocirca hac ratione non vitur Agidius, sed alij recentiores, qui de rebus spiritualibus fere in omnibus instar rerum corporalium philosophantur, quibus necessarii erat sensibilia relinquere, & altioremodum spiritualia contemplandi inuelligare. Ad posteriorem rationem, qua vitur Aegidius, respondeo cum *Henrico tractatu de motu Angelus qu. i. art. 1. ad secundam difficultatem*, sicut etiam respondi disp. 193. c. 2. in principio, ordinem, quem habet Angelus in vniuerso cum reliquis partibus, non esse situm, & loci, sed naturæ, perfectionis, & ministerij. Quis hoc non videat? quocirca recte potest Angelus in vniuerso ordinem suum retinere absque eo, quod in aliquo sit loco. Merito igitur Heraeus irridet eos, qui putant periculosum esse affirmare posse Angelum ab omni loco esse absolutum; sic enim optime intelligitur in sua positum esse libertate, de extremo ad extremum sine medio transire.

Id quod diximus de Angelo, eodem modo, atque ob eandem rationem sentiendum est, de quauis substantia materiali spoliata sua quantitate, aut saltem oblato modo quantitatis, quem vocant commensurationis in ordine ad locum, quo caret corpus Christi, quamuis habeat quantitatem, & extensionem in se ipso. Nam primum substantia spoliata sua quantitate manet absque vlla extensione, ac proinde non habet extrema, ex quibus sumi possit distantia iuxta notata à nobis disp. 29. cap. 3. ergo non potest esse in loco, hoc enim sine distantia intelligi nequit: deinde substantia cum quantitate sine modo illo quantitatis in ordine ad locum quamuis in se extensa sit, tamen quia

non potest commensurari loco, non potest ex illa ad puncta fixa sumi mensura aliqua distantia, quod tamen esset necessarium, ut diceretur distare iuxta doctrinam traditam in prædicta disputat. Ergo neutro modo substantia materialis siue cum quantitate sua sine modo tamen illius in ordine ad locum, siue sine quantitate ipsa potest ratione sui esse in loco.

Quod autem aliqui in ipsa substantia materiali comminiscuntur extensionem quandam & figuram, & superficiem, ut occupet locum, ut ita defendant eam in loco manere, manifestam includit contradictionem, aut verum modum philosophandi è medio tollit. Nam quid aliud obsecro est extensio partium quam quantitas ipsa, aut effectus quantitatis? quod enim respondent, qui præter extensionem quantitatis in substantia materiali defendunt aliam extensionem, quam ipsi vocant substantialem addentes aliquid communi definitioni quantitatis, quam philosophi tradiderunt, admittendum nulla ratione est, neque enim ut nouas opiniones defendamus, nouas etiam rerum definitiones fabricari nobis licet, sic enim nihil nobis firmum maneret: unde nostra disputatio exordium sumeret. Definitiones etiam ex communi modo sentiendi de promi debent: est autem antiquorum philosophorum communis definitio, quam nobis de quantitate tradunt, ut aliquid ratione illius extensum & diuisibile sit, ut quid ergo hanc definitionem antiquam pro noua alia commutabimus.

Adde, quod propria passio quantitatis, ut testatur Arist. cap. de quantitatibus in prædictam est, ut secundum illam res dicantur æquales, vel inæquales. Atqui secundum illam extensionem, quam prædicti Doctores tribuunt substantiæ, vna est alteri æqualis, vel inæqualis, illa est vere quantitas. Verum de hac re in materia de Eucharistia fusius differemus.

Nunc vero hac veritate præmissa, iuxta modum philosophandi, quem hactenus sequuti sumus, dicendum est, neque Angelum, neque substantiam materiale sine quantitate, aut sine illo modo peculiari quantitatis, quem diximus, posse esse in loco, & distantia, ob eandem omnino rationem: quare non est dicendum ablata quantitate, aut modo illo à substantia, fore ut substantia ex se fluere ad punctum eo, quod maneret indiuisibilis, siquidem maior ratio non esset, ob quam in hoc potius puncto, quam in illo ex se collocaretur: quare neque in puncto maneret, quia iam esset alicubi: sed nullibi maneret, neque in vniuerso haberet ordinem situm, sed ordinem, tantum sui gradus substantialis, sicut de Angelo diximus, quod vero substantia sine quantitate sit indiuisibilis, parum refert, ut dicamus, ex se in puncto collocari, quia aliud est genus indiuisibilis, quod habet substantia ab indiuisibili puncto: hoc enim habet positionem in continuo, illud autem non habet, neque est in quantitate, sed in substantia: quare ratione supra disputat. 192. cap. 2. ostendimus, etiam si Angelus sit indiuisibilis, non sequi, debere aut posse esse in loco indiuisibili, quia indiuisibilitas Angeli & loci diuersi generis sunt, ac proinde ex se vna alteri non responderet, nec illi commensuratur.

At dicunt aduersarij, si Deus à substantia corporea auferret, quantitatem, & iterum iungeret, ut illa

illa suam pro iuceret quantitatem, per illam alibi collocaretur, nulla autem esset maior ratio ob quam in hoc loco potius, quam in alio constitueretur, nullibi si illa mansisset, ut ergo dicamus in eo loco per suam quantitatem collocandam in quo antea erat, necessarium est asserere substantiam in eo loco mansisse. Respondeo quantitatem in substantia à solo Deo conseruari & produci non autem à propria substantia, & ita à solo Deo ablatam restitui posse: ab eo autem restituetur in eo loco, in quo ipse voluerit. Porro autem quantitatem produci à substantia, in qua est, non video vlla ratione efficaci probari posse.

Ad rationem opinionis Scoti respondeo, primum quidem, assumere id, quod inferre debebat: deinde dico, si aliquid habet momenti eius ratio, in ipsum quoque posse retorqueri. Primum igitur, cum assumit hanc propositionem, ordinem præfixum à superiori agente secundum esse ab inferiori, si loquatur de ordine, qui natura ipsa constitutus est ad operandum, verum est: sed cum subsumit, à Deo esse definitum ordinem partium vniuersi inter se, ut prius sit vna pars medij, quam alia, vel intelligit de situ ipsarum inter se tantum, vel de modo illas transiendi: si intelligat de situ ipsarum, verum est, & ita non potest Angelus eas pervertere, nisi corpora ipsa mutando secundum locum, ut faciat esse in vno, quod erat in alio, nunquam tamen facere potest, ut non sit eadem distantia, si tot corpora eiusdem quantitatis sunt inter extrema interiecta: si vero intelligat de modo, quo mobile partes illas medij transire debet, ut relinquens extremum, prius teneat medium, quam alterum extremum, subsumit id, quod inferre debebat: idque falsum est; neque enim Deus in Angelo hunc ordinem necessario constituit, ut superiori capite probatum manet. Præterea contra ipsum Scotum retorqueo argumentum hoc modo, si ordo partium in medio seruandus est, cur non debet seruari ordo ille medij participantis extrema, siquidem ille prior est, quam medij non participantis: id vero, quod ipse respondet, vix potest intelligi: inquit enim illum, qui transit de extremo ad extremum siue medio participante, habere quidem omnia illa loca in instanti, non ordine durationis, sed ordine naturæ, quæ tamen non haberet, si transiret de extremo ad extremum sine medio non participante: hoc autem qua ratione verum sit, aut intelligi possit, non explicat, nec vlla potest assignari differentia. Quid enim aliud esse potest, habuisse illa omnia loca media ordine naturæ, & non ordine durationis, quam ita de extremo ad extremum transisse: ac si in illis re vera fuisset, & per illa transisset: hoc autem idem dici potest, etiam si fieret transitus in medio non participante: quare ratio Scoti in ipsum recte potest conuenire.

Ad rationem denique Gabrielis respondeo, Angelum quidem reliquisse priore locum simul, non per partes, sicut sit in motu continuo, nihilominus reliquisse per primum non esse in illo, non per vltimum esse, & in eodem habuisse posteriorem locum in alio extremo. Itaque primum non esse in priori fuit primum esse in posteriori: quod nequaquam repugnat, imo in generationibus substantialibus ita contingit, ut primum non esse vnius sit primum esse alterius: neque vero desinere totum simul, est habere vltimum sui esse, sed non

esse illius, quod est formaliter desinere, est totum simul, atque adeo in instanti. Patet quidem aliando etiam vltimum esse rei appellari desinere, quia in eo finitur esse: hoc tamen solum est in iis rebus, quarum non esse est esse alicuius successiui per motum, sicut in suisuilibus loca, quæ desinunt incipiente motu successiuo proxime post illas: cum in præfati prior loci Angelus desinat non per motum successiuum, sed per acquisitionem loci extremi, quæ fit in instanti, desinere debet per primum non esse, quo fit, ut locus ille, qui desinit per primum sui non esse, totus simul desinat, & non paulatim per partes; contra vero locus, qui desinit succedente motu per vltimum sui esse, desinat paulatim non totus simul, hoc est, incipiat non esse ipsius paulatim, non totum simul, cuius oppositum existimat Gabr. Eius igitur sententia in eo, quod asserit, non posse Angelum deserere locum, & alium adquirere sine medio nobis non probatur, in eo tamen, quod docet, posse adquirere nouum locum retento priori sine medio, ex parte nobiscum sentit.

Verum motus Angeli sit in instanti.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod motus Angeli sit in instanti. Quamvis enim virtus motus totis fuerit fortior, & mobile minus resistens motori, tanto motus est velocior. Sed virtus Angeli mouentis seipsum improporcionabiliter excedit virtutem mouentem aliquid corpus. Proportio autem velocitatum est secundum minorationem temporis. Omne autem tempus omni tempori proportionabile est. Sigitur aliquid corpus mouetur in tempore, Angelus mouetur in instanti.

2. Præterea. Motus Angeli simpliciter est, quam aliqua mutatio corporalis: sed aliqua mutatio corporalis est in instanti, ut illuminatio: tum quia non illuminatur aliquid successiue, sicut calefit successiue: tum quia radius non prius pergit ad propinquum, quam ad remotum. Ergo multo magis motus Angeli est in instanti.

3. Præterea. Si Angelus mouetur in tempore de loco ad locum, manifestum est, quod in vltimo instanti illius temporis est in termino, ad quem, in toto autem tempore præcedenti, aut est in loco immediate præcedenti, qui accipitur ut terminus, à quo, aut partim in vno, & partim in alio. Si autem partim in vno, & partim in alio, sequitur, quod sit partibilis, quod est impossibile. Ergo in toto tempore præcedenti est in termino à quo. Ergo quiescit ibi, cum quiescere sit in eodem esse nunc & prius, ut dictum est. Et sic sequitur, quod non moueatur in vltimo instanti temporis.

Sed contra. In omni mutatione est prius & posterius. Sed prius & posterius motus numeratur secundum tempus. Ergo omnis motus est in tempore, etiam motus Angeli, cum in eo sit prius & posterius.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt motum localem Angeli esse in instanti. Dicebant enim, quod cum Angelus mouetur de vno loco ad alium in toto tempore præcedenti, Angelus est in termino a quo, in ultimo autem instanti illius temporis est in termino ad quem. Nec oportet esse aliquod medium inter duos terminos, sicut non est aliquod medium inter tempus & terminum temporis. Inter duo autem nunc temporis, est tempus medium. Vnde dicunt, quod non est dare ultimum nunc, in quo fuit in termino a quo: sicut in illuminatione, & in generatione substantiali ignis, non est dare ultimum instans, in quo aer fuit tenebrosus, vel in quo materia fuit sub priuatione formæ ignis. Sed est dare ultimum tempus, ita quod in ultimo illius temporis est vel lumen in aere, vel forma ignis in materia. Et sic illuminatio, & generatio substantialis dicuntur motus instantanei. Sed hoc non habet locum in proposito, quod sic ostenditur. De ratione enim quietis est, quod quiescens non aliter se habeat nunc & prius. Et ideo in quolibet nunc temporis mensurantis quietem, quiescens est in eodem, & in primo, & in medio, & in ultimo. Sed de ratione motus est, quod id, quod mouetur, aliter se habeat nunc & prius. Et ideo in quolibet nunc temporis mensurantis motum mobile se habet in alia, & alia dispositione. Vnde oportet, quod in ultimo nunc habeat formam, quam prius non habebat. Et sic patet, quod quiescere in toto tempore in aliquo, puta in albedine, est esse in illo, in quolibet instanti illius temporis. Vnde non est possibile, ut aliquid in toto tempore præcedente quiescat in vno termino: & postea in ultimo instanti illius temporis sit in alio termino. Sed hoc est possibile in motu, quia moueri in toto aliquo tempore non est esse in eadem dispositione in quolibet instanti illius temporis. Igitur omnes huiusmodi mutationes instantaneæ sunt termini motus continui. Sicut generatio est terminus alterationis materię: & illuminatio terminus motus localis corporis illuminantis. Motus autem localis Angelus non est terminus alicuius alterius motus continui, sed est per se ipsum a nullo alio motu dependens. Vnde impossibile est

dicere, quod in toto tempore sit in aliquo loco, & in ultimo nunc sit in alio loco. Sed oportet assignare nunc, in quo ultimo fuit in loco præcedenti. Vbi autem sunt multa nunc sibi succedentia, ibi de necessitate est tempus, cum tempus nihil aliud sit quam numeratio prioris, & posterioris in motu. Vnde relinquitur, quod motus Angeli sit in tempore. In continuo quidem tempore, si sit motus eius continuus, in non continuo autem, si motus sit non continuus. Vtroque enim modo contingit esse motum Angeli, ut dictum est. Continuitas enim temporis est ex continuitate motus, ut dicitur in 4. Physic. Sed istud tempus, siue sit tempus continuum, siue non, non est idem cum tempore, quod mensurat motum cæli, & quo mensurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cæli. Motus enim Angeli non dependet ex motu cæli.

Ad primum ergo dicendum, quod si tempus motus Angeli non sit continuum, sed successio quadam ipsorum nunc, non habebit proportionem ad tempus quod mensurat motum corporaliū, quod est continuum: cum non sit eiusdem rationis. Si vero sit continuum, est quidem proportionabile: non quidem propter proportionem mouentis & mobilis, sed propter proportionem magnitudinum, in quibus est motus. Et præterea velocitas motus Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis, secundum determinationem suæ voluntatis.

Ad secundum dicendum, quod illuminatio est terminus motus, & est alteratio, non motus localis: ut intelligatur lumen moueri prius ad propinquum, quam ad remotum. Motus autem Angeli est localis, & non est terminus motus. Vnde non est simile.

Ad tertium dicendum, quod obiectio illa procedit de tempore continuo. Tempus autem motus Angeli potest esse non continuum. Et sic Angelus in vno instanti potest esse in vno loco, & in alio instanti in alio loco, nullo tempore intermedio existente. Si autem tempus motus Angeli sit continuum, Angelus in toto tempore præcedenti ultimum nunc variatur per infinita loca, ut prius expositum est. Est tamen partim in vno locorum continuorum, & partim in alio, non quod substantia illius sit partibilis, sed quia virtus sua applicatur ad partem primi loci, & ad partem secundi, ut etiam supra dictum est.

CONCLVSTO est, Motus Angeli est in tempore: si sit continuus, in continuo tempore: si vero sit discretus, in tempore non continuo, sed discreto: in huius vero doctrinæ explicationem sequens disputatio futura est.

DISPVT. CXC VII.

An motus Angeli per medium, possit esse in instanti.

Angelum per medium moueri posse in instanti, non pauci existimant, c. 1.

Angelum per medium non posse in instanti moueri verior opinio infert, c. 2.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ, c. 3.

De motu discreto Angeli, cap. 4.

CAPVT I.

Angelum per medium moueri posse in instanti, non pauci existimant.

NON pauci, nec inferioris notæ Scholastici opinati sunt, Angelum moueri posse motu continuo de vno extremo ad aliud per medium in instanti temporis: ita Albert. in 1. dist. 37. art. 23. & 24. Henricus quod lib. 13. q. 7. Gregor. in 2. dist. 6. q. 3. art. 2. concl. 1. Maior d. 2. q. 12. Marsil. in 2. qu. 7. art. 3. concl. 1. refertur etiam a Greg. in hanc sententiam Hibernicus, Gregor. autem, & Gabr. loco inferius allegando animaduertunt, hic non esse quaestionem de motu continuo successione partium, nullus enim dubitat talem motum esse non posse in instanti, cum habeat in se successionem, quæ tempori necessario æquari debet, sed de motu de extremo ad extremum per medium, hoc enim appellant continuum ratione spatij, etiam si in se partes non habeat: hunc ergo asserunt esse posse in instanti. Excitatis vero Doct. Hibernicus solum dixit non modo fieri posse in instanti, sed etiam necessario, ita fieri debere: ceteri vero tantum affirmant, liberum esse Angeli in instanti, aut in tempore per medium moueri. Omnium autem ratio communis est sumpta ex Arist. 4. Physic. text. 61. ubi probat, corpus in instanti motum iri, si per vacuum moueretur, hac ratione tota causa successionis in motu est resistentia spatij pleni, & quo minor est illa, velocior est motus: ergo, si nulla esset resistentia in medio, motus esset summe velox, summa autem velocitas est in instanti, ergo in instanti moueretur. Hæc ratio, si in corporibus aliquid probat respectu vacui, conuincit etiam in Angelis respectu pleni: nam sicut vacuum corpori nullo modo resistit, sic etiam plenum nullo modo Angeli resistere valet: plenum enim ratione suæ quantitatis, & densitatis solum resistere potest, alteri corpori, quod quantum, & densum est iuxta mensuram densitatis maioris, aut minoris. Ex hoc eodem principio infert Gregor. corpus humanum præditum dote agilitatis eodem modo moueri posse per plenum in instanti, sicut Angelus potest moueri. Hac eadem ratione vtiur Hibernicus, vt probet, non solum Angelum posse per medium in instanti moueri, sed etiam non posse in tempore per medium transire: nam si tota ratio successionis in motu est resistentia medij, non erit libertatis Angeli motum extendere partium successionem, sed necessario in instanti motus esse debet.

ARTIC. III.

CAPVT II.

Angelum per medium non posse in instanti moueri, verior opinio infert.

Opposita sententia videtur amplectenda, quæ affirmat Angelum non posse moueri de extremo ad extremum per medium sine successionem, & continuationem motus: ita docet S. Thomas, Caietanus, & recentiores communiter in hoc art. Bonau. in 1. dist. 37. 2. p. art. 2. q. 3. Ricardus art. 3. q. 1. Aegidius eadem dist. 2. part. quest. 3. Scotus in secundam dist. 2. q. 1. paulo ante solutionem argumentorum, Gal. q. 3. art. 3. si attente legatur, Capreslin 2. dist. 6. quest. 1. art. 1. conclus. 4. Ferrar. 3. con. gent. a. c. 2.

At vero S. Thomas quem sequitur Caietanus, peculiari quadam ratione voluit hanc sententiam confirmare, quæ talis est, quidquid mouetur, habet in aliquo loco quiescit, debuit esse in illo loco per tempus vsque ad vltimum instanti: omne enim, quod quiescit, eodem modo se habet nunc, & prius, & postea, ac proinde debet permanere vsque ad vltimum esse in eodem loco: quare impossibile est, vt in instanti sit in alio loco per motum, alioquin duo instantia essent sine medio, ergo necesse est in tempore post quietem moueri.

Ego sane fateor omnem quietem, quæ præcedit motum, successum durare per tempus, & habere vltimum esse in vltimo quodam instanti: de ratione quietis esse habere vltimum esse, non video. Non enim implicat contradictionem, vt mobile aliquid sit sub aliqua forma per tempus, & definit esse sub illa per primum non esse, & per primum esse sit sub forma sequenti, atque ita idem instans sit primum esse forme sequenti, & primum non esse precedentis, vt in temporibus, & illuminatione fit: ergo quies ex se non prohibet terminari vltimo esse, sed iuxta inceptionem forme sequenti vno, & alio modo terminari potest: ac proinde non repugnat, Angelum esse in vno loco per tempus vsque ad primum non esse, in quo per primum esse incipiat in alio loco esse, vt ergo probaret S. Thom. inceptionem motus sequenti, non deberet assumere definitionem quietis precedentis, siquidem quies vno, & alio modo se definire potest: & varij modi, quibus definire potest quies, ex vario modo inceptions forme sequenti pendent, vt probatum est.

Atqui si opinio Ferrar. vera esset, quæ docet Angelum non posse in loco esse, nisi per operationem transeuntem, cum nullam Angelus habere possit in corpora virtute propria præter motum secundum locum, & sic incipiat per vltimum non esse, fieret, vt propria virtute Angelus non possit loco moueri, nec locum vlla ratione mutare, nisi per tempus. Verum, cum dictum sit Angelum esse in loco per modum substantiæ, & in possit in instanti incipere esse in loco, & ita multos modos opinandi in hac re Angelus incipiat esse in nouo loco, deferendo priorem, per primum non esse, quod est primum esse sequenti, atque per multi nihilominus asserunt, non posse de extremo ad extremum transire per medium in instanti, sed necessario in tempore transire: si fieri debet, alia ratio querenda est: nunc enim non querimus, an possit vnum locum deferere, & acquirere alium in instanti, sed an de extremo ad extremum per medium in instanti transire possit.

Albert.
Henric.
Gregor.
Maior.
Marsil.
Hiber.